

gula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes Privilegiarum et Indulgentiarum nullius sint roboris et momenti et quilibet Superiorum atque Officialium privationis Officiorum, quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium has Litteras nostras exinde fieri et per Nostrae Archiconfraternitatis Secretarium subscribi et publicari mandavimus et sigillorum ipsius Protectoris et Archiconfraternitatis jussimus et fecimus appensione muniri*).

Datum Romae ex loco solitae nostrae Congregationis anno — Indictione — die — mense — Pontificatus praesentibus.

5) Indulgentiae.

An sint transferendae? Vd.: Indulg. Orat.

6) Praecedent. int. se.

Cf.: Sedes Confraternit.; Instructio Clem. §. XXII. n. 4 etc.

Exorta controversia inter Confraternitatem Confalonis et SS. Sacramenti S. R. C. decrevit: Non esse recedendum a Bulla fel. rec. Gregorii PP. XIII. in qua declaratur, quod illa Confraternitas, quae prius vestes, quas sacros vocant, induerit in aliqua civitate, terra seu loco praecedentiam super alias Confraternitates habeat et in omnibus processionibus locum digniorem obtinere debeat. Quia tamen in So-

*) Hic indicantur nomina eorum qui proprias subscriptiones etiam per sigillum apponere debent quique varii sunt juxta peculiaria statuta.

lemnitate SS. Sacramenti sumptus cerae et aliarum necessariorum rerum fiunt in dicta Terra Compagni per Confrat. SS. Sacram., declaravit Congr. ut nonnulli ex Confratribus SS. Sacramenti saccis induti cum funalibus accensis in manibus possint incedere et incedere debeant hinc inde, ante et apud SS. Sacramentum, dummodo vexillum crucis et alia eorum insignia ac major pars Confratrum incedat in loco suo ante Confraternit. Confalonis juxta formam Bullae Gregorii PP. XIII. n. 377 die 10. Mai 1608; n. 439 19. Mart. 1611.

Praecedentiam dandam esse illi Confraternitati, quae prius saecis usa est, juxta bullam Gregorii XIII. „*Exposcit*“ n. 1079 die 24. Julii 1638; n. 4302 die 21. Julii 1761.

Praecedentiam inter Confraternitates illi deberi, quae prius saecis usa est, etiam in concursu cum Confraternitate SS. Sacramenti, cui tamen debetur praecedentia in processione SS. Sacramenti, dummodo accedat etiam ad alias processiones et in loco sibi debito incedat. n. 1164 18. Junii 1639; n. 3150; 20. Sept. 1687. n. 3359 ad 3 die 18. Junii 1695.

Indulgendum ex gratia Confraternitati SS. Sacramenti loci Lignarelli, ut eadem die festo SS. Corp. Chr. in processione praefertur Confraternitati S. Ambrosii loci Lignani, dummodo ipsa caeteris processionibus interesse non omittat et Confraternitati s. Ambrosii praecedentiam libere dimittat. n. 1739 die 14. Novb. 1654; n. 1756 die 19. Junii 1655; n. 2153 die 4. Mart. 1662.

Ad dubia: 1. An in Processione, quae fit in die Corporis Christi, et in alia, quae fit infra Octavam, nec non etiam in aliis quibuscumque Processionibus, quae fiunt infra annum, liceat confratribus SSmi. Sacramenti incedere post Crucem Capituli, seu

Patriarchae junctim, seu intermedie cum Canonicis Metropolitanae Ecclesiae, sive isti incedant in habitu choralis, sive cum pluvialibus, attentae praetensa consuetudine in casu etc.

2. An idipsum liceat eidem Confraternitati in associatione cadaverum, attentae praetensa consuetudine in casu? Et quatenus negative:

S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, respondendum censuit: Ad 1 et 2: „*Negative*“.

Et illa declaravit ac servari mandavit. n. 3859. die 23. Septembris 1713.

Orta controversia inter Sodalitatem S. Josephi erectam in Ecclesia Minorum Observantium in suburbii Civitatis Notabilis Insulae Melitae, et alteram SSmi. Sacramenti in Paroecia S. Pauli ejusdem Civitatis, super praecedentia in publicis Supplicationibus, eaque delata ad S. R. C.; S. eadem C. auditis juribus, quae afferebantur pro parte Sodalitatis S. Josephi dumtaxat, cum pro Confraternitate SSmi. Sacramenti nemo comparuerit, ad relationem Emi., et Rmi. D. Card. Galeffi Pontentis, rescribendum censuit: „*Praecedentiam deberi Sodalitati S. Josephi, praeterquam in Processionibus SSmi. Sacramenti; Sodalitatem vero SSmi. Sacramenti teneri et cogi posse ad alias Processiones, jussu tamen, prudentia et arbitrio Ordinarii*“ n. 4571 die 23. Sept. 1820.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Controversiae de praecedentia in Processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus, quae frequenter excitabantur cum inter Fratres Ordinum Mendicantium, tum inter varias Confraternitates laicales, per Constitutionem Gregorii XIII. *Exposcit Pastoralis Officii*, dat. 25. Julii 1583 compo-

sitae fuerunt: et, ne in posterum glisceret, per eandem Constitutionem certa servanda methodus praescripta fuit, ut, quae ex diversis Sodalitatibus simul concurrentibus antiquior esset, et habitum, quem *Saccum* dicunt, assumpsisset, caeteris anteiret. En Constitutionis verba: „*Apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter se de praecedentia hujusmodi contententibus, aut confratribus Confraternitatum praedictarum, inter quos lites et causae praemissorum occasione ortae jam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione praecedentiae, ac juris praecedendi sunt, ii, (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, et aliis subterfugiis prorsus remotis, et cessantibus et expeditis) in processionibus tam publicis, quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae hujusmodi, inter Fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiae, inter confratres vero inter se litigantes, ii, qui prius saecis usi sunt, in processionibus tam publicis, quam privatis praecedere debeant etc.*“ S. autem R. C. in quaestionibus hac super re ad eam delatis constans fuit in tuenda regula, quam *Gregorius XIII.* praescripsit, ut ex innumeris Decretis, quae videri possunt in hac nostra Collectione. Haec regula est, quae tamen aliquam patitur limitationem quoad Sodalitatem SSmi. Sacramenti, quae praecedentiam obtinet supra alias Sodalitates antiquiores, sed dumtaxat in Processionibus SSmi. Sacramenti, aliisque functionibus, quae Venerabile Sacramentum respiciunt; veluti declaravit eadem S. C.: quae tamen conditionem adjecit: *dummodo accedant etiam ad alias Processiones, et in loco sibi debito incedant.* Ita in

una Lunen. Sarzanen die 18. Junii 1639, in una Mediolanen. die 14. Nov. 1654, in Lauden. 4. Mart. 1662, et, ut de aliis sileam, in Vercellen. die 20. Sept. 1687 ubi clarius: *Indulgendum, ut Societas SSmi. Sacramenti praecedat in Processionibus, in quibus SSmm. Sacramentum defertur tantum, dummodo eadem accedat ad alias Processiones juxta ordinem antianitatis: et in Mediolanen die 19. Jun. 1655, in qua responsum lego: competere praecedentiam Societati SSmi. Sacramenti supra Confraternitatem S. Ambrosii in omnibus Processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum. Ideo in hac controversia S. R. C. respondit: Praecedentiam deberi Sodalitati S. Joseph. Verum juxta praefata Decreta exceptionem posuit: praeterquam in Processionibus SSmi. Sacramenti: iisdemque Decretis inhaerens declaravit: Sodalitatem vero SSmi. Sacramenti teneri, et cogi posse ad alias Processiones: addidit tamen: jussu, prudentia et arbitrio Ordinarii: quia revera solius Ordinarii jus est decernere, num in quibusdam circumstantiis conveniat, nec ne, ad caeteras Processiones Confraternitatem SSmi. Sacramenti compellere. —*

In quibuscunque processionibus, in quibus defertur SSmm., praecedentiam deberi Confraternitati ejusdem SSmi. n. 4228 die 26. Aug. 1752; n. 4598 ad 1 die 12. Apr. 1823.

BENEVENTANA.

Eme., et Rme. Domine Observantissime. Tres extant Sodalitates penes Commune Lapio vulgo nuncupat. istius Beneventanae Archidioecesis, nempe Sanctissimi Corporis Christi, Sanctae Mariae ad Nives, et Sanctae Mariae de Monte Carmelo, inter quas Sodalitas Sanctae Mariae ad Nives aliis prae-

cedere praesumit etiam in Processionibus Sanctissimi Sacramenti. Ad exortas controversias omnino de medio tollendas Sodalitas Sanctissimi Corporis Christi, quae antiquitus in Archipresbyterali Ecclesia erecta fuit, ac deinde anno 1690 Archiconfraternitati sub eodem titulo erectae in Ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam Urbis fuit aggregata, Sacrorum Rituum Congregationem adiit postulans declarari, cui competat praecedentia in Processionibus. Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi quum probe noscerent praecedentiarum hujusmodi controversias pluries definitas fuisse, ac praesertim in una Lunen-Sarzanen. diei 17. Junii 1639; in una Mediolanen diei 14. Novembris 1654; in una Lauden, diei 4. Martii 1662; ac tandem in una Vercellen. diei 26. Septembris 1687; quibus in Decretis statuitur: *In Processionibus Sanctissimi Corporis Christi praecedentiam dandam esse Confraternitati Sanctissimi Sacramenti; dummodo eadem aliis Processionibus intersit, et antiquioribus locum cedat: ideoque in Ordinario Coetu subinfrascripta die ad Quirinale coadunati, quin quidquam precibus rescriberent, Eminentiae Vestrae significandum censuerunt, ut, dissidiis compositis, cureret observantiam hujusmodi Decretorum. Et Eminentiae Vestrae Manus humillime deoscolor. Romae 17. Augusti 1833.*

Eminentissimo Domino Cardinali Archiepiscopo Beneventano. n. 4713.

NERITONEN.

Rme. Domine uti Frater. Quum ab hac S. R. C. humillimis datis precibus expetierit hodiernus Prior Confraternitatis SSmi. Sacramenti istius Neritonem. Civitatis declarari, an Sodalitati ipsi jus competat praecedendi aliis Sodalitatibus in Processionibus SSmi.

Sacramenti, quod quidem jus quamvis fundatum super Decretis alias ab hac ipsa S. C. prolatis, in praesentiarum ipsi controvertitur; quumque Emi., et Rmi. P. S. Ritibus tuendis praepositi compererint juxta Constitutionem s. m. Gregorii Papae XIII. et alia Decreta, praesertim in una Verullen diei 20. Sept. 1687: „Societatem SSmi. Sacramenti praecedere debere in Processionibus, in quibus SSmm. Sacramentum defertur tantum; dummodo eadem accedat ad alias Processiones juxta ordinem antianitatis“: hinc ad jurgia eliminanda, in Ordinariis Comitibus ad Quirinale hodierna die habitis, ad supplicem enunciatum libellum rescribendum censuerunt „Episcopo, qui ad formam Constitutionis Gregorii XIII. et Decretorum provideat.“ Amplitudinis itaque Tuae erit singula componere juxta mentem S. C. . . Et diu felix atque incolumis vivas. n. 4790. Romae 27. Aug. 1836.

7) Processio.

a) Licentia.

Vd.: *Processio* (licent. Episcopi); *Cruz Confraternit.*; *Processio in festo SS. Corp. Chr.*; *Laici. Confrat.* (sunt sub parcho).

Confratribus laicorum non licet deferre processionaliter SS. Sacramentum occasione 40 horarum. n. 869 ad 1. die 20. Julii 1630.

Non licere facere processiones per Confratres societatum sine licentia Episcopi, immo solitas posse per ipsum prohiberi. n. 1102 die 27. Novemb. 1638.

Non licere Confraternitati SS. Rosarii extendere processionem extra ambitum Ecclesiae SS. Anuntiationis sine licentia parochi. n. 2321 die 20. Junii 1665.

Licet Confraternitatibus laicis, erectis in Ecclesiis Patrum Praedicatorum

Bagnoli, associare processionem, quam faciunt Dominica infra octavam Corp. Chr. n. 2444 ad 2 die 9. Junii 1668.

Non licere Confratribus s. Rochi SSmm. processionaliter circumferre in die festivitatis s. Rochi neque alias processiones peragere absque expressa licentia Ordinarii n. 2978 die 28. Febr. 1682; n. 3910 ad 8 die 10. Sept. 1718.

Confraternitates existentes inter limites parochiae compelli posse ab Episcopo ad interessendum processionibus fieri solitis a parcho n. 3341 die 14. Sept. 1694.

Ad dubium: An liceat Cappellano Confraternitatis SS. Sacramenti Montis Marciani facere processionem qualibet 3. dominica intra ipsius Ecclesiam sine licentia, consensu et cruce parochi? S. C. resp.: Servetur decretum Episcopi (quod prohibuit). n. 3457 ad 1 die 25. Jan. 1698.

Intra ambitum Ecclesiarum Confrat. fieri possunt processiones absque interventu et licentia Parochi, extra ambitum vero non possunt, nisi adesset licentia Episcopi. n. 3670 ad 21. et 22 die 12. Jan. 1704; n. 3832 ad 12 et 13 die 22. Novb. 1710; n. 3910 ad 2 die 9. Julii 1718.

Confratribus Societatis saecularis S. Mariae Pedemontis non licet sine licentia Episcopi processiones facere per oppidum absque licentia et interventu Capituli Colleg. s. Crucis, penes quod residet jus parochial. n. 3758 ad 1 die 22. Jan. 1707.

In processionibus sol., in quibus intervenire solet parochus, licet Confraternitati Rosarii Terrae Plebis incedere sub suo Cappellano, seorsim a parcho. n. 3910 ad 14 die 9. Julii 1718.

Ad dubium: An liceat Confraternitati S. Mariae Perusinae solemnem ducere processionem cum delatione

SSmi. in qualibet dominica intra limites parochiae absque licentia parochi quotannis obtinenda? S. C. resp.: Affirmative de licentia Episcopi. n. 3928 ad 5 die 13. Maji 1719.

Ad dubium: An liceat Capellano Confrat. SS. Trinitatis Clastidii in Dominica infra octavam SS. Corp. Chr. processionaliter deferre SSmum. et in Dom. IV. cujuslibet mensis, necnon in festivitibus SS. Trinitatis et s. Sebastiani illud exponere et cum eo benedicere populum independenter a parocho? S. C. resp.: Negative. n. 4012 ad 10 die 13. Sept. 1732.

Capellanus Confraternitatis SS. Trinitatis Clastidii, indutus superpelliceo potest associare confratres tam in processionibus, quae fieri solent qualibet fer. VI. pro visitatione SSmi. in parochiali Ecclesia expositi, tam in iis fieri solitis quolibet Sabb. pro lucrandis indulgentiis necnon processione diei secundae Paschatis Resurrectionis. n. 4012 ad 11 die 13. Sept. 1732.

b) Locus.

Vd.: *Laici* (aute Clerum etc.); *Instructio Clem.* §. XX. n. 10. 16. 17. §. XXII. 1—9.)

Clerum semper debere quibuscunque Laicorum Confraternitatibus praecedere et si quid in contrarium servetur, abusum et non consuetudinem esse. n. 227 ad 6 die 10. Jan. 1604.

Servandum esse Caeremoniale, ut nempe in Processionibus ante Regulares incendant Confraternitates Laicorum. n. 603 die 7. Aug. 1621.

Laicos non esse interessendos cum Clericis in processionibus. n. 620 ad 2 die 4. Apr. 1626.

Praecedentiam deberi Novitiis supra Laicos juxta jus commune et constitutiones. Et ita ubique et in toto Ordine (Orbe?) servandum esse. n. 1937 die 28. Sept. 1658.

Ad dubium: 1. An liceat confr. V.

Societatis SSmi. Terrae Montis Novi incedere cum intortitiis post clerum hinc inde et ante baldachinum in Solemnitate Corp. Chr., sive potius teneantur incedere a latere ejusdem baldachini? 2. An idipsum liceat in processione, quae fieri solet fer. VI. hebdom. maj. cum statua Salvatoris, seu potius teneantur etiam incedere a latere statuae? S. C. resp.: Ad 1: Negative ad primam, affirmative ad secundam partem; ad 2: Provisum in primo et amplius. n. 4045 ad 1 et 2 die 5. Maji 1736.

Praecedentia tam in incessu quam in Ecclesia occasione s. processionum debetur Confratribus Ven. Societatis SSmi. gestantibus intortitia accensa et non famulis Magistratus similia intortitia deferentibus. n. 4147 die 31. Aug. 1743.

c) Obligatio.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXII. n. 1—9.

8) Sepultura.

Vd.: *Sepult.* (In Eccles. etc.)

9) Est sub Parocho.

Vd.: *Parochus. Oratorium. Anniversar. in Oratoriis. Sepultura* (a parocho faciend.)

Non licere supra januam Ecclesiae invito parocho in publico exponere Protectorem Confraternitatis, sed ponatur supra Capellam Confraternitatis intus Ecclesiam. n. 787 die 9. Decb. 1628.

Capellanus alicujus Confraternitatis sitae in aliqua Ecclesia parochiali non potest ad libitum absque interventu seu consensu Parochi proprii facere processiones sibi benevisas per limites Parochiae. n. 860 die 8. Junii 1630.

Non licere . . . Confraternitatibus laicorum facere processiones extra pro-

prias Ecclesias, nisi cum licentia et consensu Parochi. n. 873 die 24. Aug. 1630; n. 1122 die 5. Febr. 1639.

Capellanus Confratrum SSmi. Rosarii Catacen. pro concinendis missis, sepeliendis defunctorum cadaveribus et confessionibus audiendis cumulative a Vicario et a digniori Curato, intra cujus Parochiae limites sita est Ecclesia seu publicum Oratorium Archiconfraternitatis, tenetur licentiam petere. n. 1784. die 18. Mart. 1656.

Sine expressa licentia Episcopi non licet Confratribus Oratoriorum publicorum terrae Pantremolis exponere SS. Sacramentum, peragere Divina solemnioribus anni diebus, nec non audiendi confessiones et populum sacra communione reficere in eorum publicis Oratoriis. n. 1808 die 10. Junii 1656.

Capellanus Confraternitatis s. Jacobi non potest in Oratorio suo benedicere palmas, comestibilia etc., nisi quid relevans in contrarium habeat. n. 2062 die 12. Junii 1660.

Confraternitates non posse in suis Ecclesiis per suos Capellanos facere ea, quae ad solum parochum spectant, absque expressa licentia Ordinarii et parochi; ideo . . . in iisdem Oratoriis prohibetur celebratio missarum solemnium de Requiem, Anniversariorum Confratrum def. pro legatis piis, benedictio candelarum etc. n. 2330 die 20. Junii 1665. n. 2334 ad 2 die 31. Julii 1665.

Jus faciendi functiones fieri solitas per Confraternitatem SS. Rosarii erectam in Oratorio sito intra limites parochiae s. Philippi Nerei, et erecto de licentia Ordinarii sive praesudicio ipsius parochi, spectare ad Parochum, non autem ad Patres ejusdem Oratorii. n. 2466 die 16. Febr. 1669.

Confraternitates Laicorum legitime erectae in Ecclesiis paroch. in Capellis, Oratoriis tam publicis quam pri-

vatis adnexis parochialibus Ecclesiis habent dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non parochialibus. n. 3670 ad 1 et 2 die 12. Jan. 1704.

10) Non est sub Parocho.

Confraternitates Laicorum erectae in Oratoriis tam publicis quam privatis *sejunctis* ab Ecclesiis parochial. non habent dependentiam a parocho quoad functiones non parochiales. n. 3670 ad 4 die 12. Jan. 1704.

Per Capellanos seu alios Sacerdotes a confratribus invitatos in Oratorio Confraternitatis s. Mariae Confalonis peragi valent omnes functiones ecclesiasticae non parochiales, independenter a parocho, quoad vero benedictionem cum Venerabili — arbitrio Episcopi. n. 3850 ad 4 die 11. Februarii 1713.

CONGREGATIO LATERANENSIS.

Moniales poenitentis Ordinis S. Augustini Monasterii S. Augustini, Monasterii S. Mariae Magdalenae civitatis Vicentiae, obtenta facultate alias recitandi Officia Sanctorum Ordinis, ignorant: an concessis Officiis praedictis Sanctorum Ordinis S. Augustini intelligantur etiam concessa Officia Congregationi Lateranensi, humillime S. R. C. supplicaverunt declarari: An Sancti Congregationis Lateranensis sub Religione Augustiniana comprehendantur?

Et S. R. C. respondit: „Negative“. Et ita declaravit. n. 3568 die 19. Junii 1700.